Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

que didicit sine obstentationis nota, qua caret qui
non ingerit sed mittitur ut proferat
Proverbium metricum ex ordine librorum vagum.
Sub dubio forsan respondet sepe peritus.
In respondendo numquam celer esse memento.

De enunciatione iudicatione affirmatione et reprobatione · ca · v ·

Aristoteles Ethicorum libro iii ca v · Studiosus singula
iudicat et in singulis eis verum apparet. Idem libro
· iiii · ca · vi · In singularibus et sensu iudicium est ·
Idem libro · x · et in fine ca · Experti circa singula
intelligunt. Idem rethorice libro ii ca xvi · Iuvenes
omnia scire putant et affirmant · Senes quia
multis annis vixerunt et in plurimis decepti et pl-
urima peiora sunt negotiorum non affirmant aliquid.
Minus autem valde omnia quam oportet et putant · Sci-
unt autem et nichil et in dubio sententiantes appo-
nunt semper et quia et forte, et omnia dicunt ita
fixe aut nichil · Idem xxi ca · Sententia est enunci-
atio de universalibus de quibuscumque actiones sunt
et eligenda aut fugienda sunt ad operari · Enun-
ciat ille qui sententiam dicit universale de agibilibus.
Idem de generatione et corruptione libro primo ·
Ex multorum sermonibus indocti existentes, et
pauca respicientes facile enunciant.
Seneca epistolarum ad Lucillum libro ii epistola v · Que-
cumque fugit damnat. Idem libro · xv · epistola iiii ·
No. Temeritas est damnare quod nescias. Idem in
proverbiis ad penitendum properat qui cito iudicat.
In iudicando criminosa est celeritas.
Lex ff. de act. emp. et ven. l. Iul. § i. Non debes
facile asserere quod ignorat.
Autor libri de formula honeste vite ca ii · de dubi-
is non diffinias, sed suspensam tene sententiam ·
No. Nichil inexpertum affirmes, quia non omne quod verisimile
est statim et verum est, sicut et quod sepius pri-
mum incredibile videtur non continuo falsum est · Opinio-
nes tue iudicia sint. Idem iiii ca · Obscura nec
in continuo, nec in qualibet iure contate, quos ymita-
ris damnare iudicaris ·
Cecilius Firmianus de beata vita libro ii · Sapi-
entiam sibi adimunt, qui sine ullo iudicio inventa
maiorum probant et ab aliis more pecudum ducuntur.
Idem libro ii · Nemo de se potest iudicare.
Augustinus in epigrammatibus prosperi · Epigramma xxi ·
De occultis alienorum cordis temere iudicare pec-
catum est. Opera enim cuius non videntur nisi bona
iniquum est de suspicione reprehendere · Ergo que
hominibus incognita sunt solus deus est iustus iudex
qui est verus inspector
Macrobius saturnalium libro ii ca xxxiii · Sanctius est
alienis abstinere quam minus nota proferre ·
Isidorus in sinonomia soliloquiorum · libro ii ca xli ·
Ancipitem diu delibera sententiam · Nullum iudices su-
spicionis arbitrio · Ante proba et sic iudica · Pe-
riculosum est quempiam de suspicione iudicare · In
ambiguis dei iudicio reserva sententiam ·

De circumspectione locutionis a-bene malignitatis · ca · vi ·

Salomon in Ecclesiastico ca · x · In cogitatione tua re-
gi ne detrahas · et in secreto cubiculi tui ne male-
dixeris diviti, quia et aves celi portabunt vocem
tuam ·
Ihesus filius Sirach in Ecclesiastico ca viii · Coram extra-
neo ne facias consilium · nescis enim quid pariet ·
Oratius in epistolis libro epistola xviii ·
Quid de quoque viro et cui dicas sepe videto ·
Percontatorem fugito nam garrulus idem est ·
Nec retinent patule commissa fideliter aures ·
Et semel emissum volat irrevocabile verbum ·
Proverbium metricum ex ordine librorum vagum ·
Prospice te circa, si vis proferre sinistrum ·
Proverbium vulgare · Chi e apresso via non dica follia ·
El fante dice al gioro quello che ode a pie el fioro ·

De premeditatione et temeritate locutionis · ca · vii ·

Salomon in proverbiis ca xvi · Cor sapientis erudiet
os eius, et labiis eius addet gratiam · Idem
xxvi ca · Os lubricum operatur ruynam. Idem cap.
xxviii · Vidisti hominem velocem ad loquendum · Stultitia
magna est expanda · quam illius correctio
Idem in Ecclesiastico ca v · Ne temere quid loquaris ·
Socrates in exortationibus ca ii · Quicquid dicturus
es considera secundum sententiam · plurimorum enim lingua
mentem prevertit ·
Cronica de nugis phorum ca iiii · f · de Chilone ·
Chilo lacedemonius qui fuit unus de vii sapien-
tibus, iubebat linguam non prevenire intellectum ·
Idem ca vi f de Biante · Bias unus de septem
sapientibus ait ne cito loquaris · Amentiam enim
pandis ·
Ihesus filius Sirach in Ecclesiastico ca ix · Temerarius
in verbo suo odibilis est · Idem xiiii ca · Beatus
qui non est lapsus verbo ex ore suo · Idem xxi
ca · Verba prudentium statera ponderabuntur · In ore
fatuorum cor illorum · Idem xxv ca · Beatus qui
lingua sua non est lapsus · Idem xxviii cap.
verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo